





Gr. c B. 53

Alteu. Sammelbd!

Philosoph. Teil  
B. 47.



# PROGRAMMA,

quo  
**VIROS**

Hujus civitatis Lunæburgensis,

*Omnium Ordinum Honoratissimos,*

**DOMINOS**

Patronos, Fautores atque Amicos suos

ad

**ACTUM ORATORIO - VALEDICTORIUM,**

ubi

Juvenum atque Adolescentum optimæ indolis ac spei

**DECAS,**

*nimirum*

JOACHIM CHRISTIAN HEINI, Lüchoviensis.

MARTIN CHRISTOPH ZANDER, Megalopolitanus.

BARTHOLD RICHARD PREMSEL, Raceburgensis.

HIERONYMUS FRIDERICH KOLTEMAN, Lunæburgensis.

DANIEL WESTING, Wrema-Bremensis.

JOHANN GEORG BARING, Hannoveranus.

JOACHIM PETER TIETCKE, Lunæburgensis.

JOHANNES HERMANNI, Uchtenhagen Palæomarchicus.

TOBIAS HERMANN WALTHER, Lunæburgensis.

JOHANNES FINCK, Otterndorffio Hadelensis.

*crastino Lunæ & futuro Veneris diebus*

*XXIII<sup>mo</sup> scilicet & XXVII<sup>mo</sup> Martii*

de

**PASSIONE DOMINICA**

publicè verba facient,

prout cujusque dignitas capit, demisse, reverenter ac officiose

*invitat*

**PAULUS Kraut/Scholæ Senatoriæ Rector.**

**LUNÆBURGI, Literis JOHANNIS STERNII.**







rit, haud erit difficile existinare. Nam cum Factorum Christi, quemadmodum Theologi distinguere ea solent, alia contigerint in ipso, ut conceptio, ut nativitas, ut circumcisio, ut baptismus, passio, crucifixio, mors & sepultura; alia porro gesta sint ab ipso, ut miracula, quibus doctrinam suam confirmare voluit; alia denique contigerint in ipso, & gesta sint ab ipso, ut descensus ad inferos, resurrectio, ad cœlos ascensio, & ad dextram DEI sessio; haud immerito sane quispiam dixerit, ex hisce omnibus, quantumvis maximis, passionem, crucifixionem & mortem illius opera esse maximè admiranda, in prodigium trahenda & plane obstupescenda. Non jam constitutum mihi est, & deliberatum docere, omnes à prima mundi origine usque ad Christi adventum Prophetas de hac admiranda Passione, in qua humani generis salus unice est posita, vaticinos natos esse: nec solum dictis, verum etiam typis & figuris omnia, quæ in illa acciderunt, aperte demonstrari posse indicare; multo minus Sibyllarum vaticinia, quibus, quæ Christo Passionis tempore fuerunt eventura, sunt complexæ, ex Augustino & Lactantio pluribus repetere, ex quibus vel hoc unicum instar omnium esse posset, quod apud Lactantium *lib. 4. Inst. cap. 18.* hisce consignatum verbis reperitur:

Εἰς ἀνόμους χεῖρας καὶ ἀπίστων ὕστερον ἤξει,  
Δώσκειν δὲ Θεῷ ραπίσματα χερσὶν ἀνάγκαις  
καὶ σώμασιν μιαινοῦσι τὰ πλοῦσματα φαρμακείαις.  
Δώσει δ' εἰς μάστιγας ἀπλῶς ἀγνὸν τότε νότον.



*In manus infidelium postea veniet,  
Et dabunt DEO alapas manibus incestis  
Et impuro ore expuent venenata sputa,  
Dabit vero simpliciter ad verbera sanctum dorsum.*

Præcipua modo Passionis Dominicæ momenta expendemus, & facile iis, quæ dicta sunt, veritatem constare deprehendemus. Admirandum hoc, quod dixi, humanisque sensibus longe sublimius est opus, si, *Quis* tam ignominiosam mortem subire non recusarit, animo & cogitatione nobiscum iustramus. Etenim quis est? num homo aliquis? at hic ipse erat, pro quo, cum redimendi sui nullam haberet facultatem, mors erat oppetenda. Celebrantur quidem cum in Romana, tum aliis historiis viri clarissimi, qui aut pro salute exercitus se in medios hostes ad perspicuam mortem objecerunt, aut pro patria liberanda se ac caput suum devoverunt voluntariamque mortem subierunt. Sed huiusmodi opus, ut debita animi magnitudine susciperent, susceptumque perficerent, non in hominum omnium, nedum in ipsorum fuit viribus situm ac positum. Major hic animi virtus, majoresque, quæ huic negotio perficiendo sufficerent, vires requirebantur. Hæ autem, in quo reperirentur, neque in cœlis, neque in terris, præter Dei filium, nemo erat. Hic igitur æterni Dei filius, omnium rerum conditor, gubernator ac conservator potentissimus, beatissima venerandæ Majestatis suæ sede, ubi omnibus abundabat felicitatibus, relicta, in hunc mundum non solum venit, ac miseram nostram mortique obnoxiam



noxiam carnem mirabili prorsus, nec ulla humana intelli-  
gentia peruestiganda ratione in Divinitatis suæ contuberni-  
um assumpt; sed crudelissimo etiam ac ignominiosissimo  
mortis genere animam profudit. Profudit autem non pro  
Deo aliquo, si quis fuisset, ejusque rationes ita postulas-  
sent; nec pro Angelis, spiritibus illis præstantissimis, sed  
pro *nobis* miseris hominibus. Quod pariter nemo dubi-  
tat, quin tam sit admirandum, quam quod maxime. Con-  
sideremus enim, quam adeo nihil reperire in nobis licuerit,  
quam obrem tam incredibili amoris vehementia impulsus  
pro nobis mortem sustineret, ut ne minimo quidem amo-  
re nos complecti debuisset videatur. Quanta namque di-  
sparitas inter nos & illum, quam infinita erat distantia!  
Potentissimus ille Deus erat; nos imbelles homuli ex argil-  
la & luto facti: Creator ille & conditor erat; nos ipsius opus:  
Dominus ille erat; nos servi. Creationis quidem jure Pater  
noster esse debebat; cum autem turpissimo perduellionis  
crimine ab eo defecissemus; tantum aberat, ut paternum ab  
eo amorem sperare possemus, ut potius ob gravissimorum  
criminum terribiliorumque peccatorum magnitudinem  
multitudinemque severissimi instar judicis esset metuen-  
dus; nihilominus tamen tam tetri & tam deformes cum  
essemus, nos minime repudiavit, sed impense amavit;  
amavit? Imo verò ad nos infensissimos sibi hostes ex Ca-  
codæmonis faucibus extrahendos, & ad nostra scelera ex-  
pianda exquisitissimis sese cruciatibus tradidit necandum.  
Id quod sane ejusmodi charitatis est exemplum habendum,

balls

X 3

quod



quod omnia vel illustrissima humanæ charitatis exempla  
in finitis excedat partibus. Quod eo illustrius patebit, si  
*quæ & quanta* Dei filius nostra miserrimorum hominum  
causa sustinuerit, paulo religiosiori contemplatione in-  
tuebimur. Nulla autem mentis cogitatio, nulla oratio-  
nis facundia æquare valet eorum, quæ perpessus est nu-  
merum ac multitudinem. Tacitus hic præmittam  
paupertatem, non commemorabo persecutionem, nec  
mentionem faciam exilii, infamiæ, famis, sitis; contem-  
tum, vincula, verbera, colaphos, sputum, iniquissimam  
*accusationem & condemnationem*, hæc omnia, inquam, silen-  
tio præteribo; quæ tamen tanta sunt, ut humanis sensi-  
bus longe sint sublimiora; tria tamen hæc, quod iræ di-  
vinæ molem portaverit Christus, quod sudorem sudave-  
rit sanguineum, quod cruci denique sit suffixus, in tan-  
tam nos rapere admirationem debent, ut plane obstu-  
pescamus. Iræ divinæ molem portare si quis leve putat,  
consideret modo peccatorum, quæ Deum justissimum  
ad severissimam iram provocaverant, quæque erant Sal-  
vatori expianda, multitudinem. Nam licet, generatim si  
spectetur peccatum, unum tantum sit; quia tamen non  
una eademque ejus est ratio ac conditio, ipsa sacra Scri-  
ptura Duce infinita eorum genera recensent Theologi. Nam  
vocatur illis ratione productionis, aliud originale, aliud  
actuale; ratione eventus, aliud mortale, aliud veniale;  
quoad actum designationis aliud commissionis, aliud  
omissionis; secundum modum durationis, aliud transiens,  
*bonu* *e X* aliud



aliud permanens; secundum statum obligationis aliud regnans, aliud non regnans; quoad statum subiectorum aliud Renatorum, aliud non Renatorum; ratione modi operandi, aliud contra conscientiam, aliud contra scientiam; ratione objecti Personalis aliud contra Deum, aliud contra creaturam; ratione objecti divini aliud in filium hominis, aliud in Spiritum Sanctum; ratione creaturarum aliud contra creaturas rationis compotes, aliud contra illius expertes; ratione creaturarum rationalium aliud contra bonos angelos, vitæ nostræ custodes, aliud contra homines; respectu hominum aliud contra nosmet ipsos, aliud contra proximum; ratione objecti realis contra legem divinam vel humanam; ratione voluntatis aliud voluntarium, aliud involuntarium; ratione qualitatis aliud scientiæ, aliud ignorantæ; aliud infirmitatis, aliud malitiæ; ratione graduum aliud leve, aliud grave, & quæ vel sexcenta eorum genera alia passim reperire licet. Hæc tamen peccata omnia, quæ omnes in universo terrarum orbe homines unquam admiserunt, admittunt & admissuri sunt, sibi imputari passus est Salvator. Neque solum ea sibi propria fecit, sed etiam, quæ iis debentur, pœnas hominibus in sempiternum ævum luendas suscepit, inferniqve cruciatuum intolerandos dolores percepit. Quod quidem homines nisi ita magnum esse fateantur, ut nulla mens aut cogitatio capere, imo angelicus assequi intellectus possit, extreme impii sint ac ingratisimi. Sudare autem sudorem, cumqve sanguineum, quid non habet  
ad.



admirationis! Refert quidem Aristoteles *Lib. 3. de part. animal. c. 5.* accidisse interdum, ut homines cruentum aliquod excrementum sudarent, quod ipse vocat *αἱματώδες πῆξιμα διὰ καχεξίαν*, excrementum quoddam sanguineo imbutum colore à vitioso corporis habitu ortum. Quod idem auctoritate Theophrasti *lib. de sudoribus* ex sententia Monæ Medici confirmatur. Fernelius quoque *lib. 6. cap. 4.* scribit, se vidisse ex jecoris imbecillitate, præsertim virtutis retentricis, sanguinem ab extremis venis, quæ in cutem desinunt, multis è locis effundi. Similiter Maldonatus *in cap. 26. Matth.* refert, Lutetiæ Parisiorum hominem robustum & bene valentem, capitis sententiam cum de se latam audivisset, sanguineo fuisse sudore perfusum. Quem autem Salvator noster sudavit, multis ab illorum sudore partibus differre quis non intelligit? Nam non excrementum aliquod sanguinis tinctum colore; nec serosum aliquem; sed verum & naturalem exsudavit sanguinem, & tanta quidem copia; ut *ἰσόμοι αἵματος*, grumi sanguinis, *αἷμα πῆγός*, ut Varinus reddidit, frustra concreti sanguinis in terram deciderint. Neque ob corporis *καχεξίαν*, sed propter alias causas illum sudavit sudorem. Scilicet gravissima illa pondera, quæ eo tempore cervice sua sustinebat: peccata omnium hominum innumerabilia, ira Dei gravissima, maledictio legis severissima, mortis ac diaboli potentia maxima tam vehementer illum premebant, ut vel sudoris loco sanguinem; vel sanguinem

bs

nem



nem una cum sudore; vel initio sudorem; postea vero  
auctis angoribus, & deficiente sudoris materia, ipsum  
sanguinem expresserint. Quis ergo nec hoc miretur?  
quis non obstupescat? Inter omnia vero, quæ Salvatori  
fuerunt toleranda, gravissima incommoda, ut postre-  
mum; sic & gravissimum & maxime horrendum est  
existimandum, quo non excruciat; sed plane è me-  
dio est sublatus, mortis genus. Crudelissimum sane ac  
teterrimum supplicium, ut Cic: *orat. 5. in Verrem* vo-  
cat; ἐλέγχιος νόστος, mors probrosissima, ut Nonno *in*  
*cap. 19. Johannis* audit; infame supplicium juxta Lactan-  
tium *lib. 4. Instit. cap. 26.* Erat enim servile, ac proinde  
ignominiosissimum pariter ac crudelissimum. Nam  
cruci affigendo primum vestes detrahebantur; deinde  
omnia ejus membra, omnesque articuli distorqueban-  
tur, clavis denique ferreis per manus ac pedes actis li-  
gno crucis suffigebatur. Quod certe supplicium maxi-  
mos Salvatori attulisse cruciatus est putandum. Denu-  
datio quippe non ignominiosa solum erat; sed etiam  
doloris plenissima, quia externis aeris injuriis corpus  
exponebat. Transfixio porro manuum ac pedum in-  
tensissimos afferebat dolores, utpote quæ partes maxi-  
me sunt nervosæ, ac proinde sensu tactus acutissimo præ-  
ditæ. Elevatio denique crucis dolores & cruciatus omnes  
renovavit, quia per eam omnia viscera ac membra fue-  
runt concussa, ac vulnera manuum ac pedum ob pon-  
deris gravitatem laxiora reddita, ut quasi rivuli sangui-  
nei

)(

nei



nei ex illis profluxerint; ut brachiorum extensionem, habitum pendentis & dolorum diurnitatem silentio nunc præteream. Quàm acerba autem hæc omnia fuerint perpeſſu, quam crudelia toleratu; nihilominus tamen animo æquiſſimo ſummaque patientia pertulit Salvator, ita quidem, ut, cum ex infelici illo & infami ligno penderet, inter exquisitiſſimos dolores, quos ei afferebant interfectores, parenti ſuo pro illis ſupplicaret, eumque, ne iſtis, quod peccarent, imputaret, rogarer. O patientiam admirandam! ô charitatem ſtupendam! ô beneficia, quæ ex hac ſanctiſſimi Salvatoris noſtri paſſione ad nos homines promanant, maxima! Æternis pœnis ſcelorum noſtrorum maculæ eluendæ erant; at Chriſtus eluit, dum noſtra cauſa ſudore manavit ſanguineo; in carcere inferni æterniſque tenebris vincti eramus detinendi; at Chriſtus pro nobis captus & vinctus eſt; æternæ mortis ſententia nobis aliquando audienda erat; at Chriſtus pro nobis accuſatus & damnatus eſt: æternis conſcientiæ ſtimulis, Tartareisque flagris eramus excarnificandi; at ille ſanctiſſimos ſuos artus duriffimis flagris vehementiſſime pro nobis cædi paſſus eſt; ad Tartara denique eramus detrudendi; at ille in ignominioſiſſimum crucis ſtipitem ſublatus eſt, ut nos ad cœleſtem gloriam eveheret. Paucis, hac ſaluberrima Salvatoris noſtri paſſione, peccata noſtra ſunt expiata, ira Parentis ſedata, maledictio legis ſublata, mortis ac Cacodæmonis potentia fracta ac labefactata.

Quæ



Quæ amplissima beneficia, cum alias semper, tum imprimis sacro hoc tempore pia sunt mente meditanda, ubi ab universo orbe Christiano eorundem recolitur memoria. Quare cum haud ita pridem nonnulli discipulorum meorum verba publicè facturi dicendi argumentum ut sibi suppeditarem, à me peterent, non aliud melius, utilius, temporique accommodatius à me illis proponi posse sum arbitratus, quàm si præcipua Passionis Dominicæ momenta grata memoria repetenda ac pro facultate, quam aliqui ex usu privato, dicendi exercitatione adhuc sibi comparaverunt, oratione ac stylo exprimenda illis commendarem. Quanquam autem nihil limatum, nihilque dignum tanto argumento afferre poterunt; satis tamen magna regii Psaltæ auctoritate se tuebuntur, qui inter Angelorum júbila aliquam chorì partem infantibus ac lactentibus tribuit. Ultra quorum simplicitatem hic nemo facile ascendet, cum intanto mysterio non tam subtilitas curiosè sciendi, magnificèque dicendi, quam prudentia reverenter ignorandi simpliciterque balbutiendi locum habeat. Erant initio, qui studium mihi suum significabant, modo unus & alter; postea verò præter expectationem numerus in illum, quem jam indicavi, & paulo post sum indicaturus, excrevit. Nam cum neminem repellere, quod ab officio meo alienum; aut in aliud rejicere tempus vellem, quod illis parum commodum videbatur, non potuit non numerus præter consuetudinem augeri. Quod



ideo significandum duxi, ne, veram qui ignorat, alii id  
causæ assignandum opinetur. Quoniam igitur non  
omnes uno audiri die commode possunt, Nobilissimo-  
rum Patronorum auctoritate duos huic exercitationi  
dies tribuere consultum est visum, nimirum **ד' יצא ה'ש'**  
crastinum Lunæ & futurum Veneris. Dictari autem  
sunt, cum ob alias, tum imprimis ob eam, quam su-  
pra allegavi causam, nullo plane, quem in subselliis se-  
dentes servare consueverunt, ordine, juvenes atque a-  
dolescentes pietatis, probitatis, industriæ ac modestiæ  
laude minime defraudandi, & quidem

## DIE LUNÆ

Primus, **JOHANNES GEORGIUS BARING**, *Passio-  
nis Dominicæ historiam*, quâ poterit fieri brevitate, ora-  
tione Germanica eaque ligata enarrabit, Commilito-  
nibusque post se dicturis auscultandi benevolentiam à  
Dominis Auditoribus expetet.

Secundus, **HIERONYMUS FRIDERICUS KOL-  
TEMAN**, brevi oratiuncula Hebraica, ejusdemque ar-  
gumento carmine Elegiaco Latinè reddito, *Quis passus  
sit*, exponet.

Tertius, **DANIEL VVESTING**, oratione Lati-  
ni Idiomatis soluta, *pro quibus sit passus*, ostendet.

Quartus, **TOBIAS HERMAN VVALTHER**, si-  
mili oratione *quid sit passus generatim* explicabit.

Quintus, **JOHANNES HERMANNI**, pro studio,  
quo



quo in hanc linguam fertur, oratione Græca sanguineo  
Salvatorem sudore manasse mirabitur.

## DIE autem VENERIS,

Sextus, MARTINUS CHRISTOPHORUS ZAN-  
DER, oratione Latina Prosaica iniquissime Salvatorem à  
Judeis accusatum esse docebit, Scholæque valedicturus gra-  
ta deprædicabit voce, quæ, dum hic est commoratus,  
accepit beneficia.

Septimus, BARTHOLDUS RICHARDUS PREM-  
SEL, Pilatum iniquissimæ Christi condemnationis arguet. Ver-  
ba autem de hoc injusto Præside Viennam Galliæ, ut  
tradunt, tandem in exilium misso, idiomate faciet Gal-  
lico. Nam cum Actu proxime superiori, quid stylo  
valeret Latino, periculum fecisset; ut nunc vires sibi  
suas Gallico experiri liceret, cum à me modeste petiisset,  
tum venia Superiorum, tum ipsius, qua hujus lingvæ  
præditum noveram facultate, Dominorum denique  
Auditorum, si non omnium; ac certè plurimorum intelli-  
gentia fretus, sinisteriorisque nonnullorum judicii se-  
curus, ejus precibus, ea quidem conditione, locum  
reliqui, ut dicendorum saltim quædam lineamenta ei  
suppeditarem; compositionem vero ipsam ejus unice  
viribus relinquerem. Quo successu, qui audient & in-  
telligent, judicabunt. Hic quoque hinc abiturus iis,  
à quibus sibi benigne fieri meminit, gratum testabitur  
animum.



Octavus, JOHANNES FINCK, oratione prosa stylo Latino conscripta de *ignominiosissimo crucis supplicio* dicet.

Nonus JOACHIM PETER TIETCKE, ejusdem linguæ stylo Prosaico *incredibilem Salvatoris admiratus patientiam*, Musis nostris valedicet, atque Evergetis suis Carmine Latino variorum generum gratis agendis perpetuam sui commendabit memoriam.

Decimus denique JOACHIMUS CHRISTIANUS HEINI, qui monente ita rerum suarum statu præter expectationem, cum nonnullis aliis cæteris sese junxit, quanquam ordine primus; ultimo tamen, qua est modestia, in dicendo loco, simili carmine, at (cum haud ita pridem Latini stili ostenderit facultatem) nunc Teutonico, primum *beneficia* ex Passione Christi ad se & omnes homines promanantia grata voce prædicabit; deinde ad Academiam hinc abiturus, iis quoque Viris, quorum, quoad hic fuit, benevolentiam ac beneficentiam in se est expertus, gratias aget decentissimas. Quem, ut & cæteros omnes hinc discessuros optimi commatis discipulos, nec nullius expectationis hoc cum voto dimitto, ut Deo semper propitio, prosperrimaque usi valetudine in cœpto studiorum cursu feliciter pergant, Patronosque, quocumque venerint, inveniunt ipsorum rationibus optime consulentes.

Quicumque igitur, VIRI hujus Civitatis Honoratissimi, Domini Patroni, Proto- & Scholarchæ, Inspector, verbi



verbi Divini Ministri, Collegæ atqve Studiosi, cæteriꝑve omnes, quibus honestissima literarum studia curæ cordiqve sunt, negotiis ac occupationibus vestris non incommodum arbitrabimini nostros audire; eadem opera partim vestræ erga Salvatorem nostrum, pro Vobis quoqve tam acerba passum, pietatis: partim vestræ erga nonnullorum juvenum Parentes honestissimos benevolentia: partim deniqve vestri erga utilisima humanitatis studia favoris significandi atqve declarandi opportunitatem vobis datam intelligetis. Quos, ut statis horis frequentes adsitis, quemadmodum summo rogo opere; ita ut hoc benevolentia: genus erga quemvis quibusvis vicissim demerear officiis, me semper allaboraturum diffidere nolite. P. P. A. M. DCCV.





verbi Divini Minister, Collegæ atque studiosi, cunctive  
 omnes, quibus beneficentia lætaturus sum, cunctis  
 cunctis hinc, negotiis ac occupationibus vestris non in-  
 committam, ut in vestris negotiis, eadem opor-  
 ta partem vestrae erga Salvatorem nostrum, pro vobis  
 proque tam actibus partium, pietatis; partium vestrae et  
 nonnullorum reverentium Parentes beneficentissimos bene-  
 volentia; partium devotæ vestri erga utilitatem summa  
 nitatis studii favoris significandi atque declarandi oportu-  
 nitatem vobis datam intelligatis. Quos, in hanc ho-  
 ras respondentes adhibe, quædam quædam summo ego ope-  
 re; ut ut hoc benevolentis genus erga quædam dei  
 huius vicissim demeratur officii, me semper allaboran-  
 tum discedere noverit. P. P. A. M. DCCV.





00 A 6277 (1/40)

ULB Halle 3  
002 837 331



TA-OL

v. p. 18

Reho ✓











B.I.G.

Farbkarte #13

Black  
3/Color  
White  
Magenta  
Red  
Yellow  
Green  
Cyan  
Blue

ἐσαυραμένῃς ὀνόματι.

**RAMMA,**

quo  
**VIROS**

statis Lunæburgensis,  
ordinum Honoratissimos,

**MINOS**

atores atque Amicos suos

ad  
**RIO - VALEDICTORUM,**

ubi  
delcentum optimæ indolis ac spei  
**DECAS,**

nimirum  
**HEINI, Lüchoviensis,**  
**ANDER, Megalopolitanus,**  
**PREMSEL, Raceburgensis,**  
**CH KOLTEMAN, Lunæburgensis,**  
ema-Bremensis.

**NG, Hannoveranus,**  
**CKE, Lunæburgensis,**  
**I, Uchtenhagen Palæomarchicus,**  
**L THER, Lunæburgensis,**  
ndorffio Hadelensis.

de futuro Veneris diebus  
ilicet & XXVII<sup>mo</sup> Martii  
de

**NE DOMINICA**

icè verba facient,  
s capit, demisse, reverenter ac officiose  
invitat

t/Scholæ Senatoriæ Rector,

Literis JOHANNIS STERNII.